

fia et a seclera expurgat et mundat per gratiam; æque ac morbos, miserias et mortem expurgabit et mundabit per gloriam, ita Ilugo; denique mundus, quia ipse est lux purissima et splendidissima. Subtilis, ubi causam superius recessit.

Denique nonnulli per spiritus accipiunt dona Spiritus Sancti: hæc enim, ut sua, Spiritus Sanctus in se continet, a se electis et dilectis prout vult disperdit et communicat. Cum ergo deitas, ut docet S. Cyrillus in Concilio Ephesino, omni loco, mensura, circumscriptione, magnitudine superior, a nullo capi comprehendique possit, imo omnia capit et comprehendit, id attributum sapientie infert et confirmat ipsius deitatem.

Proprie, ut dixi vers. 21 et 22, hæc omnia epitheta competant sapientie divine, quæ divinitatis est attributum commune toti SS. Trinitati, quoque Deo est quasi idea, ars et artifex omnium agendorum, tam in naturalibus, quam in moralibus et supernaturalibus; unde concludens subdit: « Omnis enim mobilibus mobilior est sapientia. » Eadem tamen recte tribuuntur Filio, qui est Sapientia Patris genita, ut docent S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Nazarianus, Chrysostomus, Basilus et alii per Spiritum Sanctum, qui essentialiter non differt, imo idem est cum sapientia divina, sicut Catalaunensis et Ilugo: Spiritus Sanctus enim proprie est « Spiritus intelligentis, sanctus, » ut dixi vers. 22.

Nota, græce est, *ὁ πνεῦμα ἁγίου ἐκπορεύων*, quod primo Noster vertit, qui capiat omnes spiritus; Syrus, et omnes spiritus tenet; Arabicus, pertransiens per spiritus castos; secundo, S. Ambrosius, per omnia penetrans spirituum; tertio, Vatablus, omnesque spiritus penetrans; quarto, Pagninus et Montanus, ad omnes capacis spiritus; quinto, Jansenius, per omnes procedens spiritus; sexto, Lorinus, per omnes penetrans spiritus; septimo, octavo nono et decimo Cantabrigiensis, per omnes pervadit spiritus, perficit et peragit, quos omnes infinitis partibus superat; undecimo, alii vertunt, continens omnes spiritus, sicut locus continet locatum; duodecimo, comprehendens, perspicuens et intelligens omnes spiritus, vel passive comprehensus, perspicuus, intellectus ab omnibus spiritibus; decimo tertio, unicus omnes spiritus; decimo quarto, proficiens per omnes spiritus: hæc omnia enim significant *ἐκπύω*. Igitur spiritus sapientie Dei, ac Spiritus Sanctus omnes spiritus, etiam sapientissimi sint et astutissimi, comprehendit in astuta sua, eorum excellentiam in se continet, eos sua manu ut sapientia, sic et potentia tenet, omnia illorum penetrans et pervadens, imo et perficiens et unicus; et novem hierarchicos ordines ad unius curie celestis concentum redigens, eos subjectos tenens; et quamvis velut in phalanges et exercitus distributi sint militie celestis, Luc. 11, et eorum quilibet æquivalente integro exercitu, juxta illud *Psalm.* xxxv: « Immittet (hebraice, *יִמְלֵךְ*) clavis, id est castriano-militarum) angelus Domini in circuitu timentium

eum, » tamen singulos et omnes capit, id est tenet, occupat et comprehendit spiritus sapientie Dei, ipseque Spiritus Sanctus.

24. OMNIBUS ENIM MOBILIBUS MOBILIOR EST SAPIENTIA. — Græce, *πάντα γὰρ κίνητος κινητοτέρησιν*, id est omni motu magis motivum quid est sapientia, q. d. Sapientia vi et celeritate motus sui vincit omnem motum, quantumvis ebreum et violentum; sapientia in movendo et operando efficacior et velocior est quovis motu et actione, ac quovis movente et agente. Unde S. Fulgentius in Resp. 6 ad Arianos legit, *omnium mobilitatum mobilior est sapientia*; et S. Augustinus, lib. IV De Genes. ad litt. cap. XII, *motus ejus (sapientie) agilitior et celerior est omnibus motibus*, etiam angelorum et colorum, adeoque motu primo mobilis: conjunctio causalis *enim* dat causam, cui spiritus sapientie permeat ac penetrat spiritus hominum et angelorum, quantumvis puris et subtilis, quia videlicet celerissime, imo in instanti pervadit omnia, non minus quam spiritus (ventus vel aer) subtilissimus et tenuissimus penetrat intima quoque domus, et sol sua luce abuta quoque ingreditur et illustrat: nam a sapientia habent quod intelligant et sapiant. Ita hunc locum explicat S. Gregorius Nazianzenus, orat. 37, quaest. 3 De Theolog.: « Per omnes, inquit, spiritus penetrans, intelligentes, purus, tenuissimos (hoc est per angelicas, ut opinor, virtutes), quemadmodum et per propheticos et apostolicos, eodem temporis momento, nec tamen in eisdem locis (alii enim eorum alibi fusi ac sparsi erant); quod quidem perspicue ostendit, cum nullius loci circumscriptione coerceri. » Quæ verba explicans Elias Cretenensis sic ait: « Quanquam enim prophete et apostoli dispersi essent, alii alibi, nec in eisdem locis degerent, tamen eodem temporis momento Spiritus Sanctus omnibus aërali, in aliis prophetie munus efficiens, in aliis in aliis rerum divinarum indicationes. Cito hic Nazianzenum ex versione Billii: ne mireris, lector, verba hic Nazianzeni diversa ab his, quæ ex alia versione citavi initio versus precedentes. »

Obijcit S. Thomas, I part. Quæst. IX, art. 1, ad 2: Sapientia prima et increata est ipse Deus; Deus autem est immutabilis, et immobilitas; quomodo ergo sapientia hic dicitur « mobilior omnibus mobilibus? » Respondet, a quod sapientia dicitur mobilis esse similitudinarie, secundum quod suam similitudinem diffundit usque ad ultima rerum: nihil enim esse potest quod non procedat a divina sapientia per quandam imitationem, sicut a primo principio effectivo et formali, prout etiam artificata procedunt a sapientia artificis. Sic igitur in quantum similitudo divine sapientie gradatim procedit a supremis, quæ nigra participant de ejus similitudine, usque ad infima rerum, quæ minus participant, dicitur esse quiddam processus et motus divine sapientie in res;

sicut si dicamus solem procedere usque ad terram, in quantum radius luminis ejus usque ad terram pertingit; et hoc modo exponit Dionysius *Cel. hierarch.* cap. 1, dicens, quod omnis processus divine manifestationis venit ad nos Patre luminum moto. »

Moraliter, sapientia Dei ac Spiritus Sanctus suos, quos possident, faciunt mobiles, agiles et celeres ad omne bonum, juxta illud *Psalm.* cii, 4, et *Hebr.* 1, 7: « Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos sicut flammam ignis; » et illud *Contic.* ii, 8: « Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: » sic B. Virgo, plena Verbo et Spiritu Sancto, « abiit in montana cum festinatione, » Luc. 1, 39: sic Magdalena, Petrus et Joannes ecurrerunt ad sepulchrum, *Joan.* xx, 4: sic Abraham cum Sara et famulo ecurrunt ad excipiendos hospites, *Gen.* xviii, 2: nam « nullus piger est in domo sapientis, » ait S. Ambrosius, lib. I De Abraham, cap. v.

ATtingit autem ubique propter suam munditiam: — Græca addunt *καὶ ἁπλοῦς διὰ τὴν καθαρίαν*, id est penetrat et pervadit omnia: ita Vatablus, quia sapienter omnia efficit, disponit, conservat, ordinat, alit, fovet, vivificat, gubernat: hi enim sunt acus providentie, quæ est pars sapientie Dei; vel, ut Pagninus et Arias, *capax est per omnia, vel capit omnia*, quasi locus et fundus rerum omnium: vide dicta in fine vers. 23. *Munditiam*, cum S. Bonaventura intelligas primo abstractionem ab omni materia fecerit; secundo, cum Lyrano, Rikello, Holcot, separationem ab omni defectu atque permixtione indigna actu illo puro; tertio, munditiam cum Carensi capias pro luce scientie; quarto, cum Lorino, pro simplicitate nature purissimæ instar lucis, in qua nullæ tenebræ, I *Joan.* 1, 5.

Causa ergo cur sapientia omnibus mobilibus sit mobilior, omniaque attingat et penetrat, est ejus omnimoda munditia et puritas: hæc enim parit subtilitatem summam, quæ omnia penetrat et pervadit, sicut vapor (hoc enim exemplum subdit Sapiens) sua subtilitate penetrat aquam, terram, aërem et celum; idem facit ventus; et sicut anima, quia subtilis, insinuat se in omnia corporis membra, ac angelus, quia spiritualis, omnia corpora pervadit. Denique sicut sol, inquit a Castro, cum in celo sit, progredu usque ad terram, quoque ad illam ejus radii perveniunt, et luce sua omnia permeat, etiam loca sordida, nec tantillum maculatur: ita quatenus divine sapientie similitudo gradatim progreditur per effecta a supremis ad infima, dicitur moveri et omnia pervadere, nec tamen in aliquo rebus sordidis, in quibus ipsa quoque relucet, inquinatur propter suam puritatem. Quod perspicuum fit in peccatis permittendis, et quibus quam sapienter multa eruat bona, multa hominibus commoda, et Deo nullam pariat gloriam divina sapientia, certius est, quam ut a me oporteat explicari. De enim sapientia, quæ non est

aliud quam ipse Deus, nihil habet materie, nihil fecis, nihil mixtionis, nihil potentie, ut habent angeli, sed est actus purissimus, ideoque nullis locis, vel limitibus terminatur, sed omnia subit, et per omnia sese expandit. Unde Damascenus, lib. I De Fid. cap. viii, docet Dei essentiam cuncta implere, continere, complecti, præhabere, pervadere sine illius sordis vel labis contaminatione; imo omni loco et substantia, quam implet, esse longe sublimiorem et celsiorem, ideoque ab omnibus esse semotam, et secretam et separatam. Hinc Holcot elicit Deum in omni creatura posse adorari, cum in ea realiter existat, eamque continet et conservet, velut ejus anima et spiritus; et ab periculo vel suspitione idololatriæ id non expedire, quare Deum tantum adorandum esse his in rebus, quæ vel a Deo, vel ab Ecclesia ex instituto proponuntur ad hoc, ut in his adoratur: vide Bellarminum, lib. I et II De Cult. sanctor. et Gabrielem Vasquez, lib. II De Ador., disp. 1.

25. VAPOR EST ENIM VIRTUTIS DEI, ET EMANATIO QUEDAM EST CLARITATIS OMNIPOTENTIS DEI SINCERÆ: ET IDEO NIHIL INQUINATUR (S. Ambrosius, lib. III De Spiritu Sancto, cap. xix, vertit, *maculosum*) IN EAM INCURRIT. — Pro vapor Syrus vertit, *exhalatio*; Arabicus, *facies*. Probat quod sapientia sit munda, omniaque penetret per munditiam, id est mundissimam subtilitatem, ex eo quod ipsa sit quasi vapor virtutis Dei, et emanatio claritatis Dei, quia occasione simul abstractionem ab omni materia, dignitatem et majestatem, quod sollicit sit divina.

Loquitur proprie, uti jam sæpius monui, de sapientia, quæ est attributum Dei et deitatis, ideoque communis est tribus personis SS. Trinitatis; hæc ergo est vapor, id est similis vaporis, instar vaporis, virtutis, græce, *δυνάμεις*, id est potentie Dei, quem sollicit potentia Dei ex se quasi exhalat et expirat, quasi vigorem suum, ait Origenes, I *Petrarchon*, cap. II, et ex eo S. Augustinus, vel quisquis est auctor, lib. I De Incarn. Verbi, cap. xiii, qui proinde ibid. pro vapor vertit, vigor: talis enim est vapor Dei, nimirum vigorosus et efficax, cum vapor creature nihil sit, nisi fumus evanescent; unde *Eccle.* 1, 1, pro *vaporis vanitatum*, et *omnia vanitas*, Aquila vertit, *vapor vaporum*, et *omnia vapor*. Sapientia ergo proprie non est vapor exhalans ex Deo, cum in Deo nullus sit vapor, nihil exhalatio, nullum accidens, sed omnia sint unum idemque cum Deo Deique essentia; vocatur tamen vapor anthropopathus nostro modo concipiendi: quo concipiunt res divinas ex analogia rerum, quas videmus in creaturis; unde sicut in homine sapientia est qualitas et accidens, quod oritur ex anima accedente doctrina et studio, sic concipiunt patriter in Deo deitatem esse quasi substantiam; sapientiam vero esse quasi qualitatem et proprietatem ex deitate manantem, et quasi evaporatam

asphaltamque. Vapor autem notat, primo, sapientiam ejusdem cum Deo esse substantiæ, vapor enim ejusdem nature est cum re, e qua evaporatur, ut docet Aristoteles, sect. xiii *Probl.*, et *De Sensu et sensib.*, cap. ii; secundo, eandem a Deo oriri sine commixtione corporum, sine fece et labe, esseque plane puram et mundam, sic enim oritur vapor ex corpore; tertio, eandem esse mobilem, subtilem et sublimem: talis enim est vapor, qui proinde a terra sursum in caelum ascendit; quarto, eandem esse vividam et vigorosam, ac in se habere quiddam est prestans in Deo: sic enim vapor praesertim ex rebus odoratis vel distillatis (quocirca, *Ecol.* xxiv, 20, sapientia se comparat vaporis et odori balsami, cinnamomi, ac litani, id est thuris) totum eorum succum haurit et imbibit; unde mire redolent, estque fragrantissimus. Hinc ait, quod sapientia sit « vapor potentia Dei, » q. d. Sapientia totam omnipotentis divinae vim, ex qua quasi exhalat, haurit et imbibit. Sensus ergo est, vapor est virtus Dei, etc., q. d. Sapientia est quiddam subtile et odoratum, quod a Deo effluit, hominemque divino quodam vapore et odore recreat, ut oleat Deum, ejusque vita et sermo spirent quid divinum.

Primo ergo sapientia Dei in se est quasi vapor. Ita S. Augustinus loco jam citato, et Origenes, *I. Hierarch.*, cap. ii.

Secundo, eadem est quasi vapor, quatenus a Deo, utique potentia et potenti operatione in creaturas emanat et exhalat: probat enim id, quod dixit, sapientiam omnem habere virtutem, omniaque attingere et pervadere, q. d. ait noster a Castro: Sicut ex aquarum expiratione, ut ait Cicero, lib. ii *De Nat. deorum*, solis calore oritur vapor, sive tenuis quaedam exhalatio, quae deinde in terram desiliens illam fecundat: ita ex omnipotentia Dei operante in rebus omnibus, easque producente, statim subtilissima ac purissima prodit sapientia, quae res omnes Dei potentia factas distinguit, ornat et pulchras facit, intelligenti cognoscendas, et miris modis fecundas. Supponit igitur potentiam Dei omnia operantis sapientia, ut rem speciosam species, et ut dispositio orationis inventionem, et ut orbis invisibilium conditionem ipse ornatus ejus, ac dispositio et distinctio, et ut ex proportione partium corporis et mundi prodit pulchritudo et species, ita ex operibus Dei omnipotentis prodit sapientia ejus pulchritudo, instar vaporis cujusdam. Id ipsum a Salomone didicit Plato, qui sapientiam censuit esse vaporem, sive calorem et ignem caelestem ac divinum; unde Nannius verit, *siquidem a divina virtute afflatur*, juxta id, quod de se ait Sapientia, *Ecol.* xxiv: « Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. » Filius enim est verbum illud bonum, quod oro suo eructavit Pater aeternus. Denique subtiliter Origenes, *I. Hierarch.*, cap. ii, et ex eo S. Augustinus, vel potius S. Augustini assessor vel affector,

Jovem e caelo Mercurium in terram misisse, ut hominibus inderet pudorem et justitiam, utpote quae sint civitatum ornamenta et vincula, ac injurias arceant, et amicitias concilient. Et Plutarchus, lib. *De Iside*, negat hominem vel majus munus accipere posse, vel Deum majus dare, quam veritatem: hanc enim propriam esse Deo, reliqua, velut non sibi propria et peculiaris, Deum hominibus elargiri; insuper nec argentum et aurum Deo beatitudinem, nec tonitru et fulmen vim afferre, sed utrumque ei tribuere scientiam et prudentiam.

Tertio, Patres per sapientiam accipiunt genitum, puta Filium, huic enim competunt analogie vaporis jam dicte; unde Dionysius: Sicut, ait, vapor elevatur ab aqua virtute solis, sic ab omnipotente Patre procedit Filius: audi Eusebium, lib. iv *De Demonstr.*, esp. iii: « Unius ergo Patris unum esse filium oportet: nam si fragrantis generis unum ex aliqua subjecta re proficiat, unum quoque et eundem qui in omnes diffundatur, suavem odorem, non diversos et plures fateri par est. Cum igitur primum illud solumque bonum, qui est omnium regnator Deus, divinum vilemque fragrantiam, quae animo et cogitatione duntaxat apprehendi potest, produxit, unam hanc fas est intelligere, plures nefas. Quid enim esse potest, quod quidem ab hoc diversum sit, quae in omnibus Patri similis est, quod non submissis sit ac deterius? quod neutiquam nobis in Filii theologia introducendum. Vapor enim est virtus Dei, ac desiliens mera gloriae omnipotentis: nam ex beneolenti corpore, verbi gratia ex unguento aliquo, aut etiam ex floribus atque odoramentis, quae de terra nascuntur, beneolens quidam flatus praeter illud primum subjectum corpus, in omne quod extrinsecus ambit, profunditur; ac dum latus refunditur, ipsum quoque aerem complet. Non sane privatione aliqua, aut diminutione, aut sectione, aut divisione ejus, quod primum subjectum est, corporis, sed illo manente in propria sede, et eandem penes se conservante naturam, fragrantiamque illam procreante, nihil deterius priore, ipsum quoque quod creatur beneolens et fragrans genus (hoc est generatio, seu genitum et filius, juxta illud *Aetor.* xvii, 28: Ipsius enim et genus sumus; genus ergo cum simus Dei, etc.) cum propria habeat sedem atque naturam, haec ipsa, quam maxime fieri potest, id quod simillimum sit naturae procreantis, imitatur. »

Hinc rursus per vaporem accipias hilitum qui ex ore afflatur; unde Nannius verit, *siquidem a divina virtute afflatur*, juxta id, quod de se ait Sapientia, *Ecol.* xxiv: « Ego ex ore altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. » Filius enim est verbum illud bonum, quod oro suo eructavit Pater aeternus. Denique subtiliter Origenes, *I. Hierarch.*, cap. ii, et ex eo S. Augustinus, vel potius S. Augustini assessor vel affector,

lib. I *De Incarnat. Verbi*, cap. xiii, haec omnia exponens de Sapientia genita, id est Filio, sic dicit: « Ait autem sapientiam vaporem esse non gloriae omnipotentis, neque aeternae lucis, neque inoperationis Paris, nec bonitatis ejus: neque enim conveniens erat alicui horum ascribi vaporem; sed cum omni proprietate alicuius virtutis Dei vaporem esse sapientiam. Intelligenda est ergo virtus Dei, qua viget, qua omnia visibilia et invisibilia, vel instituit, vel continet, vel gubernat, quia ad omnia sufficiens est, quorum providentiam gerit, quia velut unita omnibus adest. Hujus ergo totius virtutis tanta et tam immensa vapor, et, ut ita dixerim, vigor ipse in propria subsistentia effectus, quamvis ex ipsa virtute, velut voluntas ex mente procedat; tamen et ipsa voluntas Dei nihilominus Dei virtus effluat. Effluat ergo virtus altera in sua proprietate subsistens, ut ait sermo Scripturae: Vapor quidem primum et ingenita virtus Dei. » Ad id deinde Filium esse coeternum Patri, sicut vapor coevus est rei naturae sua evaporanti, atque concludit: « Secundum Apostolum vero dicentem *I. Corinth.* i, 18, quia Christus Dei verus est jam non solum vapor virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est. »

Mystice et participative, haec adpates B. Virgini, quae vapor est charitatis, et candor puritatis divinae; unde S. Hieronymus, orat. 1 *De Assumpt.*: « Unde, queso, ait, vos filii imitami signaculum fidei vestra, Mariam, quam velut ignis ferunt, Spiritus Sanctus totam decoxit, ineamdit et ignavit, ita ut in ea Spiritus Sancti flamma tantum videatur, nec sentiatur, nisi tantum ignis amoris Dei. » Et S. Bernardus, serm. in illud: *Signum magnum*: « Longe, inquit, alter Maria meruit non velut summam tangi, sed operiri magis undique, et tanquam ipso igne concludi (sibi hunc ignem amoris Dei: de hoc enim sermo est); candidissimus sane et calidissimus hujus mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in eo non dico tenebrosum, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem, vel non ferventissimum liceat suspicari; » idem serm. *De Laud. Virg.*: « In circumloquio ejus, ait, acrie validas spiritualium virtutum suo se hinc inde ordine tenebant (siquidem ordinatione tua perseverat dies), sed et innumerabilem beatorum spirituum militiam, ad ministerium tanto potentis delegatam fuisse, nullatenus ambigimus; utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providenter ne preparatum aeterno regi hospitium alienis hospes invaderet. » S. Bernardo succinit S. Anselmus in lib. *De Excel. Virg.*, cap. iii: « Nulli, inquit, dubium, castissimum corpus et sanctissimum animam funditus ab omni fuisse macula peccati jugi angelorum custodia protectam, utpote aulam quam suus et omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus erat, et ex qua hominem in sua persona uni-

tatem ineffabili fuerat operatione suscepturus. »

ET EMANATIO QUERAM EST OMNIPOTENTIS CLARITAS DEI SICUT. — Graeco *καὶ ἀπόφασις τῆς τοῦ παντοκράτου θεοῦ καθαρότης*, id est *limpidus Omnipotentis gloriae rivus*, ita Nannius: *ἀπόφασις* est *fluvis*, effluens, defluens, flumen, rivus, qui ex fonte vel scaturigine manat, soaturit et deluit: *ἀπόφασις* enim est *fluo*, defluis, profluo. Vatablus, *sine ore permanat a majestate Omnipotentis*; S. Anselmus, tract. *De Spirit. Sancto*, legit *emanatio Omnipotentis gloriae*; Noster pro gloria hic et alibi verit, *claritatem*: utraque enim significat claram et gloriosam majestatem Dei; unde Arabicus verit, *et gloria continens omnia*; Syrus, *et stabilitas*, vel *firmitas in gloria ejus*. Comparavit sapientiam vaporis a re vaporem ex mente procedat; tamen et ipsa voluntas Dei nihilominus Dei virtus effluat. Effluat ergo virtus altera in sua proprietate subsistens, ut ait sermo Scripturae: Vapor quidem primum et ingenita virtus Dei. » Ad id deinde Filium esse coeternum Patri, sicut vapor coevus est rei naturae sua evaporanti, atque concludit: « Secundum Apostolum vero dicentem *I. Corinth.* i, 18, quia Christus Dei verus est jam non solum vapor virtutis Dei, sed virtus ex virtute dicenda est. »

Porro quod sapientia manet et proluat ex Deo sicut aqua limpida e fonte, notat primo, sapientiae identitatem in substantia cum Deo: aqua enim manans ex fonte ejusdem substantiae est cum aqua ipsius fontis; rursus secundo, sapientiae puritatem, quod enim purius et limpidius aqua, quae omne impurum abluat; tertio, *emanatio Omnipotentis Dei* significat sapientiam esse omnipotentem aequae ac Deum: audi ex Origenes, *I. Hierarch.*, cap. ii S. Augustinum, *De Incarn. Verbi*, cap. xiii, qui per sapientiam accipit Filium: « Sed quoniam gloriam dixit esse Omnipotentis, cuius gloria *aportia* dicitur, id est sapientia hoc intelligitur datur, quod etiam in omnipotentia gloriae societatem habent sapientiae, per quam Deus Omnipotens dicitur. Per sapientiam, quae est Christus, tenet Deus omnium potentatum, non solum dominantis auctoritatem, verum etiam subjectionem spontaneam famulatum; » et post nonnulla: « Deus Pater omnipotens est, eo quod potentatum omnium tenet, id est, coli et terere, maris et omnium quae in eis sunt. Horum autem potentatum gerit per Verbum suum, quia in nomine Jesu omne genua flexit caelestium, terrestrium et infernorum; et si omne genua flexit Jesu, sine dubio Jesus est omnipotens, cui subiecti sunt omnia. Et ipse est, qui potentatum agit in omnibus, et per quem subiecta Patri sent omnia: per sapientiam namque, id est, verbo et oratione.

non vi et necessitate subiecta sunt. Et ideo in eo ipso, quod obinet omnia, gloria sua est; et hæc est omnipotentis purissima ac limpidissima gloria, cum ratione ac sapientia, non vi ac necessitate cuncta subiecta sunt. »

SINCERA, — *ἀσχερῆς*, id est vera, non fucata, sincera, non fieta, pura, liquida, perspicua, aperta, manifesta, et ad radios solis (qui *ἄσχερος* dicitur) examinata, comparata et probata, *q. d.* Sapientia est emanatio, seu defluxus Omnipotentis gloriæ sincerus, sive purissimus: nam defluit, vel emanat sapientia, quasi rivus purissimus ex purissimo fonte gloriæ, aut majestatis Dei: quomodo enim non pura prodiret ex fonte tam puro? idcirco nihil polluti in eam cadit, propter suam puritatem, ut dictum fuerat. Origenes et Augustinus dictis locis de Filio Dei et hoc intelligunt: nam Dei Filius apertiora est gloriæ purissime ac limpidissime omnipotentis Dei, quia emanat omnipotentis ab omnipotente, et gloriosus a glorioso, non gloria mutabili ac caduca, sed purissima ac limpidissima, quæ ex bono prodit immutabili, et quod Deo convenit natura sua. Audi S. Augustinum: « Purissima vero ac limpidissima gloria sapientie, satis convenienter dictum est ad dictionem ejus gloriæ, quæ non pura, nec sincera gloria dicitur: omnis enim natura, quæ convertibilis et commutabilis est, etiamsi glorificetur in operibus iustitiæ, vel sapientie, per hoc ipsum, quod accidentem habet iustitiam vel sapientiam, et quod accidit etiam discedere potest, gloria ejus sincera ac limpidi dicitur non potest. Sapientia vero Dei, quæ est unigenitus Filius, quoniam in omnibus inconvertibilis est, et incommutabilis, et substantiale omne bonum in eo est, quod utique mutari ac converti nunquam potest, idcirco pura ac sincera gloria ejus predicatur. »

Denique Pineda, lib. III *De Heb. Salom.*, cap. XXVI, per sapientiam accipit theologiam Salomoni a Deo cum scientiis naturalibus inditam, ac eidem hæc omnia pulchre adaptat: « Vapor, inquit, est virtus Dei, » *q. d.* Cum ipsa virtus et magnitudo potentie Dei non possit homini communicari et infundi, hinc ex illa magnitudine suprema effluit quiddam tenue, quiddam subtile et odoratum, quod divinum est, et Deum olet. Eo cum perfunditur homo, id est cum theologia imbuitur, divino quodam vapore et odore recreatur. Potest etiam Dei tunc si non habet homo, tamen illam odori, tamen cognoscit, tamen divinum habetur. Et item « emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, » *q. d.* Limpiditas est Omnipotentis gloriæ rivus, quod dictum est, tum propter id quod sequitur: « Nihil inquinatum in illam incurrit: » quod idem est ac si diceret, nihil inquinatum in illam illabitur: crediderim dictum cum allusione quadam ad Nilum, qui neque clarus limpidusve emanat, sed ex obscurissima scaturigine erumpens, neque defluit albus et illustris, sed atratus et turbidus. Hæc Pineda.

26. CANDOR EST ENIM LUCIS ÆTERNÆ, ET SPECULUS SINE MACULA DEI MAJESTATIS, ET IMAGO BONITATIS ILLIUS. — SYTIUS, splendor est lucis sapientie, et incorruptibile speculum gloriæ omnibus servis Dei, et forma gratiæ illius; Arabicus, quæ ipsa est splendor lucis perpetua, et speculum operis Dei, in quo non est macula, *q. d.* Sapientia est radius divini numinis, quasi luminis et solis increati. Nota, pro candor græce est ἀσχερῆς, id est splendor, fulgor, exsplendescantia; unde pro candor multi vertunt splendor: ita S. Ambrosius lib. I *De Fid.* cap. IV, Concilium Toletanum XI; imo ita verbi Vulgatus interpret *Hebr.* I, 3.

Sensus est, *q. d.* Sapientia est candor, id est splendor Dei et deitatis, quæ est lux æterna et increata, hoc est majestas immense lucida et gloriosa. Sicut ergo a sole manat radius et splendor, sic a Deo et deitate manat sapientia, quæ instar radii divini resplendet. Rursum sicut purissimum, quod ex luce solis prodit, est candor seu splendor, qui omnia penetrat absque eo quod ab illa re inquinetur aut obscuratur: ita et lux solis intelligibilis Dei prodit purissima sapientia omnia illustrans, omnia ut splendor penetrans, atque illucet in omnibus, ut nihil sit quod eam contingat, aut obscurat. Audi S. Augustinum, lib. IV *In Trin.* xx: « Candor lucis æternæ quid aliud est, quam lux lucis æternæ? candor quippe lucis, quid nisi lux est, et ideo coeternæ luci, quæ quæ lux est? Maluit autem dicere, candor lucis, quam lux lucis (interpret Latinus nempe) ne obscuri putaretur ista quæ manat, quam illa de qua manat. Ac ne minor videatur lux quæ genuit, dictum est, candor est lucis: nec enim major ex minore manat. » Philo, lib. I *De Monarch.*: « Sicut lux a nullo illustratur, sed seipsa ostendit, sic Deus, qui nullis hominum operibus illustrari potest, divina sua essentia solus seipsum illustrat; Thalesius ad *Paulin. presb.*: « Quod lux est videns lucis et visis, hoc Deus est intelligentibus et intellectis; » Plato in *Alcib.*: « Sicut specula evidentiora sunt, quam oculi pupilla, et puriora, sic quoque Deus optima animæ nostræ parte purius quidpiam ac splendidius est; » S. Basilius in *Joan.* cap. V, Deum comparat soli, cujus pulchritudinem et fulgorem omnes mirantur; sed si quis penitus eum intueri velit, non tantum minus eum videbit, sed et oculorum aciem perdet, atque exerecabitur.

Loquitur proprie de sapientia essentiali, quæ est attributum Dei commune tribus personis; committant tamen loquitur de sapientia notionali, quæ est Verbum sive Filius, uti docent passim Patres, imo Apostolus *Hebr.* I, 3: Filius enim procedit a Patre, sicut splendor vel radius a sole; unde splendor, qui est ejusdem substantiæ cum luce solis, illique coævus, et ab eo inseparabilis, ac indeficiens, notat Filium esse consubstantialem et coeternum Patri, ab eoque inseparabilem, ac deficere non posse, uti docet S. Chrysostomus in *epist. ad Hebræos*, cap. I, vers. 3; S. Augustinus

tract. 20 in *Joan.*; Damascenus, lib. I *De Fid.* cap. IX, et S. Basilius, lib. II *Contra Eunom.*, quem audi: « Totum Patrem in seipso Filius habet, ut imago genita, et splendor majestatis Dei ex tota ejus majestate resplendens; et absurdum est majestatem Dei non habere splendorem, et non una cum Deo semper fuisse. » Hinc in Symbolo Nicæno Filius vocatur *lumen de lumine, Deus de Deo.* Hæc similitudo splendoris et sapientie per multa similis est, at non per omnia: nam splendor est accendens solis, sapientia vero est essentia Dei. Rursum, splendor est numero diversus (imo, ut aliqui volunt, etiam specie et essentia differt) a luce solis; at sapientia eadem numero est cum deitate. Ad hæc splendor solis augetur, minuitur, habetur et obtunditur per nubes aliæque corpora opaca; at sapientia Dei augeri, minui vel obtundi nequit, sed in eodem semper tenore perdurat. Porro Filius proprie est splendor Patris, quæ Deus, participative etiam, quæ homo: in humanitate enim Christi resplendet gloria deitatis, quæ in ipso (Christo, quæ homo est) inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, » ut ait Apostolus *Coloss.* II, 9; unde Honorius III, cap. *Sine cum olim, de Celebr.* Missarum, jubet Eucharistiam deferri præeunte lumine, quia ipsa est candor lucis æternæ; et Julius III, in bulla erectionis Confraternitatis S. Sepulchri, *Constit.* 38: « Cum, inquit, in altaris ministerio immoletur Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce, puta in aurora, vel clara jam luce: » vide dicta *Hebr.* cap. I, vers. 3.

Sapientia hic ostendit nobilitatem sapientie ex ejus origine, quæ est ipse Deus, atque ex ejus summa cum Deo conjunctione; unde primo, comparavit eam vaporis exhalanti et re calida; secundo, rivo mananti a fonte; tertio, hic splendori quem sol emittit: Deus Pater enim est quasi lux et sol splendorem emittens, ut docet S. Dionysius, cap. IV *De Divin. nomin.* Quarto, speculo sine macula; quinto, imagini. Hic alludens noster Lyricus, docte et eleganter de divina sapientia ita canit:

Diva terrarum pelagique præses,
Pura sinceri soboles sereni,
Mentis arcæum jubat, et coruscæ
Fila lucis.
Pater Patri natum sine matre Numen
Candor aspecti sine nabe veri,
Ingeni potes, genialis almi
Pectoris ardor.

O sacer mundi lepor, o decoræ
Fabra naturæ facies, paternæ
Mentis ex-plum, Jovis sereni
Luminis imbor.

Patris interpres, simisque voci,
Nata fecundo Genitoris ore,
Vena virtutum, generosa pulchri
Mater honesti.
Cælibis Patris generata partu,
Cælibis matris generanda partu,
Lamen, et verum semel elocuti
Copia veri.

Tropologicæ candor notat sapientiam et sapientes esse candidos, sinceros, securos, veraces, fidos, non suspicaces, fictos, dubios, fallaces: nam, ut ait Seneca, *epist.* 3: « Multi fallere cœverunt, dum timent falli; nihilque magis cavendum est, quam ut diffidere videaris; » et nonnullis interjectis: « Nulli fidem adhibere unum idemque vitium est, atque omnibus credere. » Audi S. Bernardum, serm. 17 in *Cantic.*: « Sapientia, inquit, ambiguum et obscurem non admittit. Pessime matris ignorantie, pessime ducæ filie sunt, falsitas et dubietas: illa miserior, ista miserabilior; perniciosior illa, ista molestior; cum loquitur Spiritus, cedit utraque, et est non solum veritas, sed certa veritas: est enim veritatis ille spiritus (cui contraria est falsitas) et sapientie, quæ cum sit candor vite æternæ (explicuit S. Bernardus effectum æternæ lucis, nempe quod sit vita participata ex æternæ vite fonte, juxta illud, *Joan.* I, 4: In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, etc.), et ubique attingat propter munditiam suam, obscurum ambigui non admittit. » Idipsum per visum experta est S. Gertrudis: nam, ut habet *Vita ejus* lib. II, cap. XXV, vidit ipsa Deum instar speculi solaris, radios in animam suam vibrare: « Cum, inquit, o Domine, applicuisses mihi in veritate tuam faciem optatissimam, afferendo tecum copiam totæ beatitudinis, ego ex divinis tuis oculis pensavi per oculos meos ingredi in intima mea lucem quamdam incomprehensibiliter suavem, quæ penetrando omnia mea viscera, videbatur operari in singulis membris meis virtutem quamdam supra modum admirabilem. Videbatur enim exhaurire medullas ossium meorum, ac deinde ipsa ossa cum carne annihilare, sic ut tota substantia animæ meæ non videretur esse aliud, quam splendor ille divinus, qui totam animam ejusque sinus oberrans, illi inestimabilem et jucundissimam afferebat serenitatem. »

Hujus candoris æque ac sapientie exemplum singulare fuit ipse S. Bernardus, qui candorem internum, candore externo vultus, vestium, sermonum, gestuum, actionum representabat; unde eundem candidis virtutum omnium coloribus ita depingit auctor *Vitæ ejus* lib. III, cap. I: « Primum maximumque miraculum quod exhibuit, ipse fuit; serenus vultu, modestus habitus, circumspiculus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, et, sicut alios ipse movebat, crebra signum experientia persuasus, de omni re magis fidens orationi, quam industrie propriæ vel labori. Magnanimus in fide, longanimus in spe, profusus in charitate, summus in humilitate, præcipuus pietate. In conciliis providus, in negotiis efficax, nunquam tamen minor quam in otio otiosus. Jucundus ad opprobria, ad obsequia verecundus. Suavis moribus, meritis sanctus, miraculis gloriosus. affluens denique sapientia et virtute, et

« Illi apud Deum et homines. » Et post nonnulla: « apprehendit in carne eius gratia quedam, spirituum tamen potius quam carnalis, in vultu claritas prefulgebatur, non terrena utique, sed celestis; in cordis eugelia quedam puritas, et columbina simplicitas refulbat. Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, ut evidentibus quibusdam radiis foras erumperet, et de conspectu interioris puritatis et gratie copiose perflatus homo quoque exterior videretur. »

Et SPECULUM SINE MACULA DEI MAJESTATIS. — Pro maiestatis gratia est *virginitas*, id est *energiae*, efficaciae, inoperationis, in qua reuertit maiestas et magnificata Dei; unde Origenes et ex eo S. Augustinus, *De Incarn. Verbi*, cap. xii, legit, et *speculum immaculatum inoperationis*, vel *virtutis Dei*, q. d. Sapia Divina est: speculum sine macula, id est levissimum, terribilissimum, purissimum, limpidissimum, clare representans Dei essentiam et maiestatem, ejusque vim et energiam, in quo scilicet clare innotuit vim operantem, energiam et efficacitatem Dei, quia ipsa sapientia ex se et patris facti vim efficacem, qua Deus operatur omnino in hoc mundo, quae, nisi sapientia praesto esset, omnino in opus non prodirent, ac ita efficacitas potentiae Dei operantis non ostenderetur.

Rursus ipsimum de Verbo et Filio interpretatur Origenes, lib. I *Periur.* cap. ii, et eum sequens S. Augustinus loco jam citato: Filius enim producit et generat per intellectum Patris, tanquam verbum mentis, id est quae perfecta species, sive speculum, in quo reuertit res intellecta et cogitata. Audi Origenem et Augustinum: « Sed et speculum immaculatum paterne operationis Dei nominatur sapientia esse. Ergo inoperatio virtutis Dei quae sit, prius intelligenda est: quae est vigor quidam, ut ita dixerim, per quem inoperatur Pater, vel cum erant, vel cum providet, vel cum iudicat, vel cum singula quaeque in tempore suo disponit atque dispensat: sicut enim in speculo omnibus motibus atque omnibus actibus quibus is qui speculum intuetur, movetur, vel agit, hinc ipsi etiam ea imago, quae per speculum informatur actibus vel motibus commovetur vel agit, in illo prorsus desiliens; ita etiam sapientiam de se vult intelligi, cum speculum immaculatum paterne operationis virtutisque Dei nominatur; sicut et Dominus Jesus Christus, qui Sapientia Dei est, de semetipso pronuntiat, dicens: *Quia opera quae facit Pater, haec etiam et Filius facit similiter*; et iterum dicit: *Quoniam non potest Filius a semetipso facere quicquam, nisi cum viderit Patrem facientem*. Quoniam ergo in tanto prorsus Filius a Patre virtute operum immutatur ac differt, nec aliud est opus Filii, quam Patris; sed unus atque idem, ut ita dicam, motus in omnibus est, ideo cum speculum immaculatum nominavit, ac per hoc nulla dissimilitudo Filii intelligitur a Patre, cum in

evangelio Filius similia facere non dicatur, sed eadem similiter facere. »

Denique sapientia divina in B. Virgine et sanctis exorens divinas operationes, facit ut ipsi sint specula, in quibus resplendant Dei puritas, claritas, sanctitas, maiestas: ita S. Bonaventura et Holcot, qui haec adaptant humanitati Christi: Christus enim qua homo fuit, inquit, planum speculum plane docendo, concavum humiliter moriendo, convexum potenter resurgendo. In concavo ima summaque ordine apparent inverso, et ignis a radiis illic allis excitari solet; quid magis inversum et paradoxum, quam Deum nasci, pati, crucifigi, mori? Unde in hac meditatione exardescit ignis, *Psal. lxxxviii*, 4. Apud Rhodiginum, lib. xv, cap. xii, Apuleius scribit « Socrate frequenter ad specula missos discipulos, ut eis adoceri caverent ne pulchritudinem corporis morum turpitudine dehonestaret; » et Pythagoras « in speculo se non ad lucem lumen, sed illustri sole contemplari jubebat, » id est conferre pedem cum doctissimis. A sapientia jubet fideles intueri haec vita Christi, B. Virginis et sanctorum specula, iisque mores suos conferre, et quoad fieri potest aequare, ut et ipsi allis similia in sese exhibeant sanctitatis specula. Denique castitas est speculum, in quo reuertit ipsa in creatura Deus.

ET IMAGO BONITATIS ILLIUS, — q. d. Sapientia Dei adeo bona et benefica est, ut sit clara imago representans bonitatem Dei. Dices, eadem representat nobis potentiam, providentiam, iustitiam Dei; cur ergo dixit *bonitatis*, potius quam iustitiae, vel potentiae? Respondetur, quia Dei velut summo bono propria est bonitas, ac bonitas est causa cur se et sua communicet creaturis, eaque tam liberaliter effundat. Sicut ergo imago exprimit vultum ejus, cuius est imago, sic sapientia divina in res creatas effusa et diffusa clare representat divinam bonitatem, quae causa est et ratio cur Deus se communicet, et in omnes res creatas diffundat, dans eis quod sint, ac simul quod bonae et speciosae sint. Rursus Patres nomen *imagine* attribunt Filio: « ipse enim est imago Dei invisibilis, » *Coloss. i*, 13, « et figura [graece *character*] substantiae ejus, » *Hebr. i*, 3; vide ibi dicta: quare Dei Patris bonitatem perfecte exprimit, imo eandem cum eo bonitatem habet, ait S. Augustinus, loco jam citato; atque ex immensa bonitate Patris se totum communicat Filio, ac proinde bonitatis illius imago est Filius. Porro hic notantur tres Verbi dotes cuique Principi consuetandae, scilicet sapientia, potentia, bonitas, quae quasi sorores se invicem comitantur; hinc poete pinxerunt sapientiae deam, puta Paladem sive Minervam, *ἡλυσάννα*, id est *caecis oculis*, armatam, et inventricem olivae et olei: *caecis enim oculis*, oerulum celi purissimi colorem referentes, notant perspicuam sapientiam, armata potentiam, olivae bonitatem et beneficentiam.

Insuper sapientia Dei facit homines bonos, imo eodem gradu, quo facit eos sapientes, facit pariter bonos, id est Dei amicos et deformes, ac divinum bonitatis imitatores; adeo ut videantur esse dii quidam terrestres, Dei celestis dotes et virtutes in se experientes, ac viva quaedam Dei in terris simulacra. « Unde et in operatione Patris, ait S. Augustinus, *De Incarnat.* cap. xviii, quae esse praestat omnibus, clarior ac magnificentior invenitur, cum unusquisque per participationem Christi secundum id quod sapientia est, et secundum id quod scientia est, et sanctificatio est, proficit, et in altiores profectuum gradus venit, et per hoc, quod participatione Spiritus Sancti sanctificatus est quis purior ac sincerior effectus, dignum recipit sapientiam ac scientiae gratiam, ut depulsis omnibus expurgatisque pollutionis atque ignorantiae maculis, tantum profectum sinceritatis ac puritatis accipiat, ut hoc quod accipit a Deo ut esset, tale sit quale Deo dignum est; eo quod ut esset utique pure praestitit, ac tam perfecte, ut tam dignum sit id quod est, quam est ille qui id esse fecit. Ita namque et virtutem semper esse, atque in eternum manere, percipit a Deo id is, qui talis est, qualem eum voluit esse ille qui fecit: » ita S. Augustinus, vel quisquis est auctor, nam phrasim arguit non esse hoc opus S. Augustini, sed alienius ejus discipuli, qui ejus stylium affectavit, ut recte observant doctores Lovanienses in censura hujus libri. Adde auctorem hunc plerumque, quae ex eo jam citavi, pene ad verbum descripsisse ex Origene, lib. I *Periur.* cap. ii, ut videbit qui utrumque leget et conferet. Denique Pineda, lib. III *De Reb. Salom.* cap. xvi, per sapientiam accipit theologiam Salomoni a Deo infusam: Haec enim, inquit ipse, est candor et splendor lucis aeternae, puta theologiae Dei et bestorum: ac speculum sine macula Dei maiestatis. Sicut enim in speculum incurrit res obiecta, ut videri videatur illarum imago: ita sane in mente humana, praesertim si laudatam se Deo et sapientiae praebet, Deus se conspiciendum praebet, illius maiestas, potentia, virtus et reliqua divinae naturae attributa; et imago bonitatis illius, » non solum quod theologia de huius bonitate disserat, sed quod videatur postulare ut, sicut sapientia in Deo est cum vixima sanctitate conjuncta, ita etiam eadem sapientia cum sanctitate conjuncta sit in hominis animo, et divinam bonitatem atque sanctitatem referat. Propterea enim comparatur cum *flumine*, cum *ruilo*, et cum *emnatione*, ut significetur ita sapientia exire: cum immenso illo sapientiae et divinitatis pelago, ut quamvis spatiatur per hominis animum, et per latissimos rerum cognoscendarum et creaturarum omnium campos, at tandem oporteat ortum suum repetere, et in Deum primum sapientiae fontem desinere. Hoc si non fiat, si sapiens aliquid desipiat, si Deum non quaerat, non colat, mirum non minus, quam cum « Jor-

danis conversus est retrorsum. » Pari enim ratione de Salomone stultescente dictum est *III Reg. xi*, 9: « tratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset (retrorsum conversa) mens ejus a Domino Deo Israel. »

Mystice, haec omnia sapientiae mira et magnificentia elegit adaptes B. Virgini: ipsa enim post Christum, et per Christum, pro omnibus hominibus et angelis est « vapor virtutis Dei et emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera; » ipsa est « candor lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius; » ipsa habet omnem virtutem, omnia prospicit, et capit omnes spiritus intelligibiles, etiam cherubim et seraphim: ipsa enim est mare sapientiae, et abyssus puritatis, bonitatis ac gratiarum omnium: imo Patres aiunt gratiam et consequenter gloriam ejus esse quasi infinitam, sicut enim dos et dignitas maternitatis Dei est quasi infinita, sic pariter velut infinitam ipsa possit gratiam et gloriam: nam, ut ait S. Thomas, II part., *Quaest.* VII, art. 10, in matre Dei fuit gratia tali dignitate proportionata. Audi Patres S. Epiphanius, orat. *De Laudibus Virginis*: « Gratia, inquit, Sanctae Virginis est immensa; » Divus Anselmus, in libro *De Excellentia Virginis*, cap. viii: « Immensitatem, inquit, gratiae tuae et gloriae tuae considerare cupienti, o Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit; » Damascenus, orat. *2 De Dormitione Virginis*: « Virgo, inquit, vitae thesaurus, gratiae abyssus immensa; » Inculentissime D. Bonaventura in *Speculo*, cap. v: « Immensa, inquit, fuit gratia, qua Virgo fuit plena: immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud quo est plenum: Mariae autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui coelestis major fuit, continere potuit. » Et post nonnulla: « Tu ergo immensissima capax es coelo, quia quem coeli capere non poterant, etc. Tu capax es mundo: quia quem totus non capit orbis, etc. Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente! et si capacitas tam immensa fuit, oportuit quidem ut illa gratia, quae tantum implere potuit capacitatem, esset immensa. » B. Petrus Damiani, serm. *De Nativ. Virginis*: « Gloria, ait, quae cum ex hoc mundo transiret excepit, principium ignorat, nescit finem. » Verum haec omnia cum grano salis accipit, nam sicut maternitas Dei est dos et dignitas infinita et absolute finita, utpote quae in puram meretricem creaturam cadit, cuius capacitas limitata est et finita, nec doni absolute infiniti capax, sic pariter absolute finita est gratia et gloria, quae hinc maternitati congrue respondet et debetur: dicitur ergo illa a Patribus *immensa et infinita*, non absolute, sed secundum quid, puta objective et respective, *primum*, quia respicit obiectum infinitum, puta Deum: per illum enim B. Virgo vere est mater Dei, sicut visio Dei, licet in se sit qualitas finita, tamen respectu obiecti, puta Dei, in

quod tendit, dicitur infinita, ut docet S. Thomas, I part. *Quest.* XXV, art. 6, ad 4. *Secundo*, respectu intellectus nostri, quia illum superat copia gratiae et gloriae virginis, ut eam mente definire necipere et adaequare, ac plane comprehendere nequeamus: hoc enim per hyperbolem homines dicunt esse *infinitum*, quod ipsi comprehendere et definire, sive definite assignare nequeunt. *Tertio*, quia respectu hominum et angelorum est infinita: omnes enim homines et angeli a Deo in tanta natura et gratiae praecellencia creati, et plures qui creati possunt, nullo modo accedunt ad dignitatem et praecellentiam maternitatis et matris Dei, ac consequenter nec ad ejus gratiam et gloriam: Deus enim angelis et hominibus admetitur eam gratiae mensuram, quam eorum capacitas et lex Dei ordinaria postulat: quare ea mensura illis conferat gratiam, ut semper gratiae plurimum donandum supersit, cujus adhuc eorum natura capax est.

Aecedat quod juxta insignes philosophos ac theologos, qui gradus intensiōnis gratiae, et ejuslibet habitus ac potentiae censent non esse homogeneos sed heterogeneos, ita ut v. g. gradus secundus intensiōnis gratiae sit alterius rationis, et generis a primo, et tertius alterius a secundo, et sic consequenter, plane dicendum est quod, si ulli data sit gratia et gratiae gradus heterogenei, hoc est diversae et altioris rationis a nostris, illos datos esse B. Virginis: quia ejus maternitas est heterogenea et altioris ordinis, quam omnia alia creata dignitas, et quia actus ejus fuere intensissimi et excellentissimi. Quod si verum est, sequitur quod, licet infiniti a Deo crearentur angeli cum suis donis et gratiis, nunquam tamen accederint ad gratiam B. Virginis: ipsa enim numero graduum gratiae longe superat singulos angelos creatos et creabiles; cumque hi gradus ponantur heterogenei, inferiores omnes, licet plurimum et plurimi, nunquam accedunt ad dignitatem et excellentiam superiorum, utpote altioris ordinis, alteriusque naturae, sicut res, licet plurimum, nunquam accedit ad dignitatem auri. Ponamus ergo v. g. summus angelos singulos habere gratiam ut 50, B. Virginem vero ut mille; quinquagesimus primus ejus gradus gradus sit, cum sit altioris ordinis, dignitate superabit omnes gradus gratiae omnium angelorum, utpote qui non transcendunt 50, ac proinde inferioris sunt ordinis, conditionis et naturae. Nullo magis eisdem superabit 52 gradus gratiae B. Virginis, ac magis 53, 54, ceterique deinceps: quia quo superiores sunt, eo nobiliores pariter sunt et perfectiores, ac proinde altioris sunt ordinis, magisque superant gradus se inferiores, quam hi superent alios sibi subjectos, sicut angeli primae hierarchiae magis superant angelos secundae hierarchiae, quam hi superent angelos tertiae: quia quo quis magis accedit ad Deum, eo altius ascendit magisque perficitur et quasi dilatatur. Id

clarum est in caelis, qui quo superiores sunt, eo majorem habent peripheriam, capacitatem et magnitudinem.

Hinc colligas primo, in B. Virgine esse plenitudinem gratiae singulari sensu et modo, quatenus creaturae capacitas praedicto modo, juxta legem Dei ordinariam expleta est: id voluit S. Cyrillus, serm. *De Nativitate Christi*, dicens: «Matri Dei plenitudo gratiae debetur;» et Sophronius, serm. *De Assumptio*: «Ceteris datur gratia per partes, Mariae vero tota se infundit gratiae plenitudo:» quae verba usurpant S. Bernardus, Bonaventura, Badianus et alii. *Secundo*, de Virgine ait S. Anselmus: «Decens erat ut Virgo ea puritate niteret, qua major sub Deo nequeat intelligi;» sub Deo accipere Christum. Unde S. Bernardus: «Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quia profundissimam Dei sapientiae, ultra quam credi potest, penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae condito patitur, luci illi inaccessibili videatur *luminaria*;» et S. Ambrosius, quem citat Dionysius Carthusianus: «Incomprehensibilis, inquit, incomprehensibiliter operatur in matre. » Ratio a priori est dignitas, tum maternitatis, tum mediatrix: mater enim Dei et hominum omnium, quare gratiam non singularem sibi soli, sed universalem velut capitis in omnes fideles refundendam accipit. Docet hoc S. Anselmus, lib. *De Excellentia Virginis*, cap. ix: «Quis igitur, inquit, ista perpendens estimare queat qua laude digna sit, quae tantorum beneficiorum sola praecunctis efficit debuit mediatrix?» et paulo antea: «Pura, inquit, sanctitas, et sanctissima puritas piissimi pectoris ejus, omnem omnis creaturae puritatem sanctitatemque transcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, ut reparatrix perditis orbis dignissime fieret.» Et S. Laurentius Justinianus, serm. *De Annuntiatione*: «Magna profecto, inquit, fuit Mariae gloria, exuberans atque completa, quae oculis deit gloriā, gaudium praestitit angelis, saeculo pacem refudit, fide docuit gentes, vitisque finem imposuit. Quomodo non est Maria, juxta Gabrielis oraculum, plena gratia, quae effecta est paradisi scala, caeli janua, interventrix mundi, Dei atque hominum verissima mediatrix?» Et S. Bonaventura in *Speculo*: «Omnia flumina, inquit, intrant in mare, dum omnia charismata sanctorum intrant in Mariam: flumen enim gratiae angelorum intrat in Mariam, flumen gratiae apostolorum intrat in Mariam, » etc. Ac demum ubi percurrit omnes sanctorum conditiones: «Quid mirum, inquit, si omnis gratia in Mariam confluit, per quam tanta gratia ad omnes deflavit?» ait enim B. Augustinus: Gratia est plena, Maria, quam apud Deum invenisti, et per totum mundum effundere meruisti. » Audi et Sophronium, serm. *De Assumptio*: «Talibus, inquit, decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena

quae dedit caelis gloriam, terris Deum pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitis, ordinem vite, ac moribus disciplinam. Quid mirum, si Jelliam et gloriam plenam et superplenam habet in regno, quae gratiam plenam et superplenam habet in exilio? Quid certe mirum, si tam in caelo, quam in terra ejus plenitudo super omnem creaturam sit, de cujus plenitudine omnis natura virescit? » Plura haec de re collegi *Eclii*. XXIV, et *Prov.* XXXI, 10 et seq.

27. ET CUM SIT UNA, OMNIA POTEST; ET IN SE PERMANENS, OMNIA INNOVAT, ET PER NATIONES IN ANIMAS SANCTAS SE TRANSFERT, AMICOS DEI ET PROPHETAS CONSTITUIT. — Sapientia Dei in se est unica, sed in viribus, officis et artibus multiplex, quia potest, imo facit omnia: nam sine sapientia nihil fit a Deo. Hoc est quod dixit vers. 23: «Omni habens virtutem.» Ipsa ergo est *πανδωρα*, id est *omnipotens*, ac una et indivisa in se existens infinitorum vim et perfectionem in se continens: quare una sufficiens est omnibus producendis, continendis, conservandis, gubernandis.

ET IN SE PERMANENS (stabilis, immobilis et immutabilis) OMNIA INNOVAT, — quia nova semper operatur, et novos effectus semper producit, tum in natura, tum in gratia: sic in vere novos producit flores, in aestate novas segetes, in autumnano novos fructus, in hieme novas nives, pluvias et glacies; sic innovat omnes hominum gradus et status, novos homines veteribus suggerendo, ac deformatos veteres mores per novos viros religiosos corripiendo ac reformando.

ET PER NATIONES IN ANIMAS SANCTAS SE TRANSFERT. — Pro nationes, graece est *γενεαι*, id est *generationes*, hoc est primo, aetates et saecula, q. d. Sapientia per singula saecula communicavit se sanctis animabus, a se electis et dilectis. Nullum fuit saeculum sapientiae et sanctitatis expertus, sed in quolibet fuere semper aliqui viri sapientes et sancti, amici Dei et prophetae, a Deo selecti et consecrati; unde Vatablus vertit, et *vicissitudinibus aetatum in animas sanctas se transferebat*. *Secundo*, per generationes accipias cum Nostro, hominum genera et nationes, qui in terra nascuntur, q. d. Nulla est ratio, in qua sapientia non haberet vel habeat aliquos sui discipulos, amicos et prophetas, tum proprie dictos, qui scilicet futura et secreta pronuntiant; vel per catachresin, prophetas id est viros eximie sapientes et sanctos: tales enim olim erant prophetae. Deus enim non est acceptor aetatum, personarum, vel gentium, «sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi, » *Actor*. x, 33. Hos ergo Deus constituit, graece *κατασκευαζει*, id est primo, aedificat et extruit, tanquam regias basilicas, et animata Dei templa; secundo, instruit, adornat, concinnat, tanquam sacra Dei oracula; tertio, docet, preparat, dirigit, quos orbis doctores, ad eum docendum et conservandum; quarto, munit et armat contra omnes

hominum demonumque insultus; quinto, probat, confirmat, astruit, stabilit virtutibus et miraculis, quasi certis sui sigillis.

28. NEMINEM ENIM DILIGIT DEUS, NISI EUM QUI CUM SAPIENTIA INHABITAT, — tanquam cum uxore et sponsa, nam graece est, *συνωιδον αμαρτιας*, id est *coniugio junctus sapientia*: *συνωιδον*, enim, id est *cohabitatio*, vocatur conjugium, quia in eo cohabitavit maritus et uxor; unde cap. seq. vers. 2, ait: «Quaerivi sponsam mihi eam assumere;» pro quo S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, legit, *proposui ergo hanc mihi adducere in conjugium*. Per sapientiam hic et omnibus hisce Salomonis libris, praeficam intellige, puta prudentiam, virtutem, sanctitatem, charitatem: cum hac enim, imo in hac inhabitat sapientia et Spiritus Sanctus: «Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo, » *I Joan.* iv, 16; et: «Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, » *Joan.* xiv, 23. *τὸ inhabitat* significat sapientem, id est sanctum, familiariter et assidue versari cum sapientia, id est sanctitate, charitate et Deo.

29. EST ENIM HEC SPECIOSIOR (ita Romana et Graeca; male ergo aliqui legunt *pretiosior*) SOLE, ET SUPER OMNEM DISPOSITIONEM STELLARUM, LUCI COMPARATA INVENTUR PRIOR. — Pro speciosior graece est *κατασκευαζομενη*, id est *formosior*, ornator, modestior, elegantior, magis composita, decora, exulta, praelara et praestans: dat causam cur Deus adeo diligat sapientiam, et nullam diligat nisi propter illam, puta non nisi illa praeditum. Causa est sapientiae pretium, excellentia, species, pulchritudo et claritas, quae tanta est, ut vincat jubar solis et omnem dispositionem stellarum, quae fulgent ut totidem gemmae; adeoque superet et praecedat lucem, tum stellarum, tum cujuslibet rei, imo primigeniam illam initio mundi ante solem et stellas a Deo creatam et coaerantem, ex qua deinde in partes divisa sol et stellae formate sunt, uti dixi *Genesis*. i: sol enim, stellae et lux illa primigenia fuere splendor creatus, finitus, materialis, corporeus, mutabilis et occasus obnoxius; at vero sapientiae splendor est increatus, infinitus, immaterialis, incorporeus, immutabilis, aeternus, divinus.

Hujus sententiae et precedentis elegans exsatis solis et aquilae apologus, saepe sapientiae conditus, apud Cyrillum lib. I *Apologorum moralium*, cap. ii, cujus titulus est: *Nihil sibi homo est sine sapientia*: «In lucidioris aeris, inquit, sublimitatem aquila conscendens, solis fixo contuitu ejus mira venustate inspecta, mox eum tali questione pulsavit, dixitque: Tu quid es, o vas admirabile, tam decorum? at ille respondit: Nescio. Tunc illa magis mirata, nimirum quod in lucis fonte hujus ignorantiae tenebras invenisset, adjunxit: Quomodo est hoc, quod in splendorebus tuis caetera videantur, et tui tu nescius te non vides? cui

dixit: Quippe sapientie non sum expertus: sola enim illa sui gaudet notitia, quæ sunt in seipsa conversiva. Ad hoc aquila sic arguens dixit: Quomodo igitur perditæ est tibi tante luciditatis gloriositas, tantæ prelositatis dignitas, tantæ virtualitatis casualitas, ac tantæ soliditatis perpetuitas? Ex quo namque te ignoras, in tibi nihil es, nihil siquidem prudentia est fatuo, rutilantia cæco, et eloquentia surdo. Tunc Titan respondit: Etsi nihil mihi sum, tamen ei sum, cujus sunt omnia, quod est quoddam maximum vas sapientie: ipse enim sapiens, cum solus se cognoscendo sit suus, cunctorum etiam, quæ sibi non sunt, intellectu carentium sapientia constitutus est dominus. » Rationem claram mox subiicit, atque: « Homo enim participio sapientie ejusdem (Gen. 1, 28), ex divina imagine decoratus, ab ipso primordio universis rebus mundi visibilibus est prefectus: nimirum ideo, quia sapientis sunt omnia, cui non prævalent metallorum gemmarumque validitas: quin etiam illi subsidiaria divitiarum servit potestas. Quamobrem (Prov. III, 43), pretiosior est sapientia cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur, et non valent comparari. Quibus auditis, mox illa dilectione sapientie inflammata, pelivæ a sole ut quid ea sapientia esset, luce definitionis ostenderet. Cui libenter annuens, inquit: Sapientia quidera est illa mentis virtus, quæ summum, quod est Deus, fide recta conspicitur, et casta dilectione tenetur: hæc enim qui dotatus est, jam mundi est dominus, et possessor est suus. Quibus diligenter notatis, in propria gaudens illa reversa est. »

ET SUPER OMNEM DISPOSITIONEM (græce *ὑπὲρ*, id est thesis, positionem, situm, collocationem, ordinationem) STELLARUM. — Primo, a Castro exponit, q. d. Sapientia supra omnem stellarum situm est posita, celsitudine superat stellas et celos, quia sedet cum Deo in altissimo divinitatis ejus solio. Secundo, melius idem et alii explicant, q. d. Sapientia suo splendore, ordine, specie, dispositione vincit omnium stellarum splendorem, ordinem, speciem, dispositionem; unde Vatablus vertit, et omnem astrorum seriem superat, lucique comparata potior deprehenditur: nominal dispositionem stellarum, quia in earum situ et dispositione miris est ordo, miraque pulchritudo, adeo ut astrorum velut castrorum acies sit ordinata; unde vocatur *millia cæli*, et exercitus Dei *Sabaoth*, Job. 1, v. 20; Isai. XXIV, 24; Deuter. XVII, 3. Rursum stella dispositæ sunt in cælo, ut lumina et oculi in capite: unde a poetis vocantur *Cæli* aut *Jovis oculi*.

LUCI COMPARATA INVENITUR PRIOR. — Prior tum tempore, id est anterior, quia sapientia ab æterno fuit in Deo, illique est cœva, cum lux initio mundi et temporis sit creata; tum dignitate et præstantia, unde Vatablus vertit, *potior*. De pulchritudine solis, stellarum, lucis dixi Gen. 1 et *Eclii*, XLII, 1 et seq. Hunc sensum exigit ratio, quam

subjungit. Porro *et super omnem dispositionem stellarum* pendet et necitur cum eo quod sequitur, *luci comparata invenitur prior*, q. d. Si ultræ ordinem lucemque stellarum, sapientiam compares primigenie luci, instar solis totum mundum illuminanti in ipso mundi initio, utique sapientia illa luce invenietur prior, tum tempore, tum dignitate, q. d. Si non tantum stellas, sed et luci, quæ in mundo fuit prima et maxima, sapientiam conferas, illa invenietur prior et potior.

30. ILLI ENIM SUCCEEDIT NOX, SAPIENTIAM AUTEM NON VINCIT (græce *καταρξάνει*, id est prævalet, superat, circumvenit, contendit, coerces) MALITIA. — dat causam cur sapientia sit prior, id est potior et præstantior luce, non solum solis et stellarum, sed et primigenie mundi, eo quod illa instar solis se movens et gyrans per nostrum hemispherium, vespere occumberet, et transiret ad alterum adversumque mundi hemispherium, itaque ei succederet nox, ipsaque lux vorteteret in tenebras. At sapientia semper sibi constat, nec ipsa in insipientiam, aut malitiam verti potest, nec ab ea vinci. Loquitur proprie de sapientia increata Dei: hæc enim adeo potens est et provida, ut nulla malitia vinci possit, sed potius ipsa omnem malitiam hominum et dæmonum, omnem quoque rerum malitiam, id est duritiam et difficultatem, vincat sibi que subjuget. Comitantur tamen et consequenter loquuntur de sapientia participata et homini infusa. esto enim ipsa recedat ab homine, qui a sapientia et sanctitate deficit, transitque ad insipientiam et malitiam: tamen ipsa in se, puta in suo fonte, manet illæsa et intacta apud Deum. Rursum ipsa homini invito et nolenti eripi nequit, quare quamdiu homo eam retinere vult, vinci nequit a malitia; hinc patet per sapientiam intelligi prudentiam, justitiam et sanctitatem: nam illi opponit malitiam, hæc enim est practica et summa insipientia.

Pro malitia græce est *κακία*, id est malitia tam culpæ, quam pœnæ, puta tam iniquitas, quam adversitas et calamitas, q. d. Nec culpa, nec pœna vel afflictio ulla vincit sapientiam Dei. Potest quoque abstractum sumi pro concreto, q. d. Malitia, id est mali et impij persequentes pios, non possunt vincere eorum sapientiam et virtutem, quamdiu eam sponte non deserunt; hinc alij legunt, in sapientiam autem non incidit malitia. Exemplum dat S. Bernardus, homil. 2 super *Misus* est, Adam et Evam, Christum et Mariam: illos enim utpote insipientes vicit malitia serpentis et superbiæ; hi vero utpote sapientes vicere tam fiklorum insipientiam, quam serpentis malitiam: « Quid dicebas, inquit, o Adam, Genes. V, 13: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi? verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas, quam deleas culpam. Veruntamen sapientia vicit malitiam, cum occasione veniat, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis

invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba: quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vite, et pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem patriæ fructus æterni. Muta ergo inique excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vite, et comedi, et dulces factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me. »

Idem serm. De Septem donis Spiritus Sancti: « Sapientia, inquit, vincit malitiam, dum Satanam conterit Dei virtus et Dei sapientia Christus, » etc.; quæ commodius cap. sequenti, vers. 1, recitabo. Idem, serm. 85 in Cant., dat causam: « Virtus, inquit, est vigor animi immobiliter stantis cum ratione; vel virtus est vigor animi, quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens; » et post plura subiungit: « Et si quis sapientiam virtutis amorem defuerit, non a vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor; et forte sapientia a sapore nominatur, quod virtutis accedens quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quæ per se insula quodammodo et aspera videbatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni diffiniam. Hunc saporem perdidimus ab ipso pene exortu generis nostri: ex quo cordis palatum, sensu carnis prævalente, intecti virus serpentis antiqui, cepit anime non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare. » Causam subdit: « Quia serpentis malitia mulieris insipientiam circumvenit; sed unde malitia visa est vicisse ad tempus, inde se victam dolet in æternum: nam ecce denuo sapientia mulieris cor et corpus implevit, ut qui per feminam deformatus in insipientiam sumus, per feminam reformemur ad sapientiam. Et nunc assidue sapientia vincit malitiam in mentibus,

ad quas intraverit, saporem mali quem illa invenit, sapore exterminans meliori. Intrans sapientia, dum sensum carnis infatnat, purificat intellectum cordis, palatum sanat et reparat. »

Porro S. Bonaventura in *Speculo*, cap. III: « Quidam, inquit, legunt hic prior, quidam prior: utrumque Mariæ stellæ nostræ competi, Mariæ enim est prior, id est potior, sive dignior; Mariæ etiam prior est sole et stellis et luce, quia tam dignitate, quam puritate solem et stellæ et omnem lucem superat corporalem, imo etiam spirituales, id est angelicam creaturam, de qua dicitur, Gen. 1, 4: *Divisit Deus lucem a tenebris*, id est angelos stantes a cadentibus. Hæc utriusque lucis angelis prior et purior est Mariæ: prior dignitate, et purior sanctitate. Unde Anselmus exclamans ait: O benedicta super mulieres, quæ angelos vincis puritate, sanctos superas pietate: hæc Bonaventura. Quocirca S. Ephrem, orat. De *Deipara*, agens de ea: « O omnibus, inquit, superis exercitiis gloriosior, omnium sanctorum ac virginum coram ob fulgorem inaccessa, omnium princeps, omnium dux, sacratissima puella. Per te reconciliati sumus Deo meo. »

Tropologicæ, lux, imo sol, suos patitur defectus, modo enim exultat ut gigas fulgida radiorum cessare coronatus; modo vero laborat ut Hercules, cæca caligine circumfusus: at sapientia, id est virtus, invicta inter adversa quælibet, sibi que similis perstat. Audi Tertullianum, lib. De *Spectaculo*, cap. xxxix: « Vis et pugilatus et luctatus? præsto sunt non parva, sed multa. Aspice impudicitiam devictam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sevitiæ a misericordia contusam, petulantiam a modestia umbratam; et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem et sanguis aliquid? habes Christi. »

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit commendare sapientiam, ejusque dotes et commoda maxima plurimamque recensere, ob quæ Salomon se eam in sponsam delevisse, et summis votis expetivisse asserit.

1. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. 2. Hanc amavi, et exquisivi a juventute mea, et quævisi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius. 3. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: seu et omnium Dominus dilexit illam: 4. doctrinæ enim est disciplina Dei, et electricæ operum illius. 5. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia? 6. Si autem sensus operatur, quis horum, quæ sunt, magis quam illa est artifex? 7. Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem, quibus utilis nihil est in vita hominibus. 8. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat: scit versutias